

¶. 15. *Subjectum in quam potentia hujus, anima est, eaq; sola, sine ullo corporis consortio; ut ea causa recte dicatur Inorganica.*

[ Quod à Goclenio alijsq; liberaliter concessum, imperite nimis Kkus negat pag. 482. sententia, ne in sensitivis quidem ferenda: ut alibi nobis disputatum. ]

¶. 16. *Actus intellectus, & potentia hujus, adeoq; & prima ac princeps hominis affectio est Intellectio, quæ constat speciei intelligibilis receptione.*

¶. 17. *Sive ergo potentiam intelligendi, sive Intellectiōnem & Intellectum ipsum explices, ab objecto capiendum initium est; nimirum ab Intelligibili Quatenus Intelligibile.*

[ Mutua enim horum relatio est: qualis & in sensu. ut nempe objectum per speciem suam menti repræsentetur: Eamq; speciem mens recipiat: ac recipiendo patiatur: ac percipiendo agat, &c.]

¶. 18. *Intelligibilia hec per omnem Entis latitudinem diffusa sunt, ad materiata & Immateriata; universalia & singularia: abstracta & concreta; substantias & accidentia.*

[ Eequid etiam ad singularia? Ita prorsus inquam: Etsi nonnulli id negent, sensus ac intellectus distinguendi causa. Sed falso. Quid quod altius etiam assurgat & sibi ipsi faciat quod intelligat, Entia nempe rationis. Audacius Aristoteles lib. 3. an. Intellectum inquit intelligere omnia. Et plerisq; in ore, objectum adæquatum Intellectus nostri, esse ipsum Ens. An & Deus ipse & Entia abstracta? Indubio inquam, non tam res ipsa, quam Intelligendi modus: num vg. *Quidditative* ab intellectu nostro cognosci possint, & per conceptus proprios? Qnqd magno sententiarum divortio quondam agitatum, at non ab omni conciliatione alienum esse, & quidem, ut non de re, quam de nomine ( quidditativæ cognitionis ) videatur esse Controversia, non pauci hodie, cum Ferrariense, nec vane sentiunt. Ecquid vero & nihil intelligibile est? & huic ordini, quin Metaphysicæ etiā contemplationi jungendum? Ea de re alibi nobis contra Timplerum disputatum est, & adhuc stat sententia. ]

19. *Nihil.*